5 II

IN NOMINE TRINITATIS

DE

SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ

DISPUTATIO THEOLOGICA PRIMA.

Quam

In Illustri Universitate Jenensi

PRAESIDE

VIRO

Plurimùm Reverendo, Amplissimo, & Excellentissimo,

DN. CHRISTIANO CHEMNITIO, SS. Theol. D. Prof. Publ. & Facultatis suæ h. t. DECANO Spectabili, ùt & Ecclesiæ & Dioecesεos ibidem Pastore & Superintendente; Patrono & Præceptore suo æternùm colendo & honorando,

Publicæ ventilationi submittit

M. JOHANNES HENRICUS VVALTHER, Vinariensis-Thuringus.

Ad d. XXIV. Februarij

In Auditorio Theologico.

JENÆ,

Typis GEORGII SENGENVVALDI.

Anno M. DC. LIV.

In Nomine SS. Trinitatis.

DISPUTATIO THEOLOGICA DE SENSU SCRIPTURÆ SACRÆ PRIMA:

THESIS I.

MAgnum hoc est, adeoque necessarium prorsus Christiano caput. Scriptura enim lecta nihil prodest, nisi etiam intelligatur. Unde *part. 1. Exam. Concil. Tridentini p. 57.* scribit *B. Chemnitius: Hilarii dictum est: Scripturæ non sunt in legendo, sed in intelligendo. Certum igitur est, doctrinam Scripturæ, & salutarem ejus usum, consistere non in verbis non intellectis: sed in vero ejus sensu, & sano intellectu, sicut parabola, Matth. 13. inquit: Qui Verbum DEI audit & intelligit, & fructum affert, hic in terram bonam seminatus est.* Intelligimus autem per *Sensum Scripturæ*, rem verbis ejusdem significatam, sive significationem ejus rei, quam in quolibet loco Spiritus sanctus intendit. Nam sicuti *Interpretationem* nihil aliud esse constat, quàm *investigationem ejus rei, quam Scriptura in singulis locis per verba sua significat:* Sic etiam hæc *rei significatio*, sive *res significata* rectè vocatur, *Scripturæ* SENSUS. Cùm itaq; plurima ab hac materiâ dependeant: Ideò animus est *aliquibus Disputationibus* EAM considerandam proponere, & inprimis *hac & sequenti* Disputatione videre: *Undenam sumendus sit verus & genuinus Sacræ Scripturæ* SENSUS? Sive, unde

is QUOAD NOS *dependeat?* Spiritus autem veritatis, de cujus verbo acturi sumus, in omnem veritatem nos gratiosè & clementer ducere dignetur!

II. Sic igitur *Concil. Tridentinum Sess. IV. Decreto II. Canone alio: Præterea ad coërcenda petulantia ingenia, decrevit* (Sacrosancta Synodus) *ut nemo sua prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta* mater Ecclesia, *cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sanctarum Scripturarum, aut etiam contra* unanimem consensum Patrum, *ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi Interpretationes, nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contrà venerint, per ordinarios declarentur, & pœnis à jure statutis puniantur.* Ita *Concilium Tridentinum;* suspendens verum & genuinum Scripturæ SENSUM à *SENSU Ecclesiæ*, & ab *unanimi* CONSENSU *Patrum*.

III. Quàm varius autem æstus fuerit apud congregatos Patres, antequam rupto jecore exierit tandem hæc caprificus, egregiè describit *Petrus Suavis in Historiâ Concilii Tridentini, Lib. II. pag. 173. & seqq.* Principio enim variis sermonibus occasionem dedit Doctrina *Cardinalis Cajetani*, docentis; *novum aliquem Scripturæ sensum, quando cum Textu concordat, & neq; cum aliis Scripturæ locis, neq; cum fidei doctrinâ pugnat, rejiciendum non esse, utcunq; torrens Doctorum ad alium sensum confluat. DEUM enim Scripturæ sensum solis priscis Doctoribus non alligasse, alioqui nihil aliud aut hujus, aut posteris Scriptoribus relictum, quàm ut ab aliis scripta exscribant in suos libros.* Et hanc sententiam Cajetani, quæ Sensum Scripturæ non solis priscis Doctoribus alligat, alii Theologi & Patres *probabant:* alii verò *impugnabant.*

IV. Qui eam *probabant;* his I. Tyrannis quædam spiritua-

ritualis videbatur, interdicere fidelibus, ne ingenii sui vires exerceant pro modulo donorum, quæ DEUS iis elargitus esset. 2. Et propterea hoc nihil aliud esse, quàm vetare, ne talentum à DEO concessum, in mercimonium spirituale, uti decebat, erogetur. 3. Studiosos ita à studio sacrarum literarum deterreri, cùm contrà homines potiùs quibusvis illecebris ad illarum lectionem sint prolectandi. 4. Istam spiritualium donorum varietatem ad Ecclesiæ perfectionem pertinere. 5. In Patrum Scriptis non modò magnam opinionum diversitatem, verùm contrarietatem quoq; conspici; cum arctissimâ tamen charitate conjunctam. 6. Permittendam esse itaq; etiam huic nostro seculo eandem libertatem, cùm superioribus seculis tàm fuerit fructuosa. 7. Scholasticos Theologos, etsi de sacrarum literarum sensu non controvertant, crebra tamen, & non minùs periculosa inter se de religionis capitibus fovere dissidia. Ita Pars melior sententiam suam defendere, & suadere: Scripturæ Interpretationem non esse finibus tam angustis concludendam, sed relinquendam liberam.

V. Qui autem *contrariam* sententiam defendebant, urgebant 1. Licentiam illam majores turbas esse Ecclesiæ daturam, quàm ipsam tyrannidem. 2. Requirere hoc præsentia tempora. cohibenda enim esse effrænata hominum ingenia, alioqui nullum fore contentionum finem. 3. Prisca secula hanc libertatem postulasse, & eâ opus habuisse, quòd paucæ essent expositiones Bibliorum, & quòd nihil turbarum metuendum esset ab hominibus, vitæ sanctimoniâ, ingeniiq; moderatione spectatis: hodierna autem tempora alios mores postulare. 4. Deditâ operâ Scholasticos Theologos, homines; ad disputandū suopte ingenio proclives, à Scripturâ ad effata & rationes Aristotelis deduxisse, ut ibi distinerentur: propterea quòd viderint 1. nullam esse in Ecclesiâ

aliarum Interpretationum necessitatem, & Scripturam non modò sufficienter, sed etiam copiosè explicatam. 2. non posse melius verbo Dei cultum & reverentiam debitam conservari, quàm hoc modo; quippe *cui plurimum decedat, quando illotis vulgi manibus tractetur, aut curiosis, tanquam materia exercitandis ipsorum ingeniis propinetur*. Atque hæc sententia eò confidentiæ processit, & tantas prolata, acquisivit vires, ut impudens & ferreum os alicujus Monachi, nomine *Ricardi de Mans, ordinis Franciscanorum*, non erubuerit dicere: *Fidei dogmata, operâ Scholasticorum in præsens sic esse enucleata, ut imposterum ex Scripturâ ea addiscere nihil esset opus*. Eam olim in Ecclesiâ legi & in Scholis addisci solitam ad populum instituendum. nunc verò in Ecclesiâ lectitari, ut orare doceat solùm, qui unicus debeat esse illius usus; non autem ut addiscatur: atq; eum esse cultum ac venerationem; à singulis Verbo Dei debitam. Illud verò omninò prohibendum, *ne quis discendi studio Scripturam legat*, nisi qui in Theologiæ Scholasticæ doctrinâ prius sit institutus. *Apud eos enim, qui in sacris literis versantur, Lutheranos maximos facere progressus*. Quod haud aliter dictum est, atq; *Albertus Pighius*, de Eccles. Hier: *Lib*. 1. *c*. 4. dicit: *Si hujus doctrinæ memores fuissemus, hæreticos scilic. non esse informandos vel convincendos ex Scripturis, meliore sanè loco essent res nostræ. Sed dum ostentandi ingenii & eruditionis gratiâ, cum Luthero in certamen descenditur Scripturarum, excitatum est hoc, quod prob dolor, nunc videmus, incendium*. Hic videlicet ille honos est, quem deferunt Scripturæ sacræ Pontificii.

VI. Sed inter has *duas sententias* nonnulli se ingerebant *medios*. Quidam enim contendebant *Sacræ Scripturæ intelligentiam non ad solos Patres restringendam*; quòd *illorum sensus*, utplurimum sint *allegorici*, *rarò literales*: & quòd, qui literam sequuntur, expositiones suas accommodent ad suum seculum, quæ ætati nostræ planè non quadrent. Permittendas igitur esse *novas expositiones*, modò *accommodatæ*

sint

fint nostris temporibus, nec dissentiant cum sensu seculi. Scitè enim dixisse Cardinalem *Cusanum*, Scripturarum intelligentiam tempori aptandam: & idem voluisse ultimum *Concilium Lateranense*, quando statuerit, *Scripturam secundum Doctores Ecclesiæ, aut sicut longa consuetudo approbavit, explicandam.* Dominicus à *Soto* autem, *Dominicanus*, distinguebat inter *ea*, quæ pertineant *ad fidem & mores*; & inter *ea*; quæ *huc non pertineant.* Quoad *priora* æquum esse, ut ingenia omnia intra limites jam positos contineantur: in *aliis* verò nihil esse incommodi, cuiq; permittere, ut salvâ pietate charitateq; in suo abundet sensu.

VII. Tandem verò, cùm ad suffragia ventum esset, *Cardinalis Paciecus* dixit, *Sacram Scripturam à tot tamq; praeclaris eruditione & probitate viris explicatam, ut nihil addi possit; hæresesq; omnes inde natas, quòd Scripturæ novi sensus affingantur. Esse itaq; necessarium petulantiam ingeniorum nostri seculi retundere, & efficere, ut antiquis Patribus & Ecclesiæ se regendos permittant: quod si alicui singularis Spiritus oboriatur, cogendum eum, ut sibi sapiat, neq; animi sui sensu evulgato, aliis negotium facessat.* Atque in eam sententiam ab omnibus penè itum fuisse, scribit *Svavis.*

XII. Ex quibus, paullò prolixiùs adductis elucescit, quantæ molis fuerit decretum hoc condere; & quàm varia tormina passa fuerit *sanctissima mater Ecclesia, Tridenti repræsentativè collecta;* priusquam hunc suum abortũ potiùs, quàm fœtum ediderit in lucem. Scripturam enim Ecclesiæ subjicere, & expositioni Patrum, non est de umbrâ asini, aut lanâ caprinâ solicitum esse: sed res summi momenti. Quia enim FIDES nostra Scripturâ nititur rectè & in sensu à Spiritu sancto intento intellectâ, ac in eandem resolvitur: Ideò manifestum est, non posse aliquem certum esse de suâ FIDE, nisi certò noverit, eam convenire cum Verbo DEI, in eo sensu intellecto, quem Spiritus S. intenderit.

IX. De-

IX. Decernit itaque *Concilium Tridentinum; Hunc esse verum, genuinum & à Spiritu sancto intentum Sacræ Scripturæ sensum, quem teneat & tenuerit Sancta mater Ecclesia; & qui conformis sit, unanimi consensui Patrum.* Ratio igitur *credendi quoad nos; Hunc esse verum, genuinum & à Spiritu sancto intentum sacræ Scripturæ sensum*; juxta hocce Decretum erit: 1. *Auctoritas Ecclesiæ*, ut quis sciat hunc sensum *tenuisse & tenere sanctam matrem Ecclesiam.* 2. *Unanimis consensus Patrum.* Unde & idem *Concilium Tridentinum Sess. V. Decreto primo*, dicit, dictum Paulinum *Rom. V. v.12. In quo omnes peccaverunt*, etiam infantes reos agere peccati originalis: *quia id Ecclesia Catholica ubiq; diffusa, semper ita intellexerit.* Et rursus: *Concupiscentiam*, quam aliquando Apostolus *peccatum* appellat, *sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit. Sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.* Concupiscentia igitur non est *propriè* dictum *peccatum: quia Ecclesia Catholica nunquam ita intellexit.* Audimus ergò; *quoad nos*, SENSUM Scripturæ suspendi à SENSU Ecclesiæ, & ab unanimi CONSENSU Patrum. Dicimus, QUOAD NOS. Nam quando SENSUS Scripturæ in se consideratur, prout à Spiritu sancto est intentus, & ab eo provenit, ejusq; Verbo inest: tunc libenter concedunt, quòd pendeat à Spiritu sancto, tanquam à causâ Efficiente; utpote cujus est etiam VERBUM. Sed quando consideratur, QUOAD NOS; & quatenus nobis innotescit, eum esse verum, genuinum, & à Spiritu sancto intentum Sacræ scripturæ *SENSUM*; tunc dicunt eum pendere à *SENSU Ecclesiæ*, quæ Spiritum sanctum habeat ex peculiari privilegio; & ab *unanimi CONSENSU Patrum. Unde talem ὑπόθεσιν* pro hoc Canone & aliis assertionibus Pontificiis attulit *Andradius*, apud *Chemnit. part: 1. Exam. p. 43. Deus semper in mundo habet aliquam Ecclesiam. Vera autem*

autem *Ecclesia, à verâ fide sejungi & separari non potest. Necessariò ergò nobis credendum est, quicquid sive olim, sive nunc Ecclesia sive tradidit, sive credit, etiamsi nullo id Scripturæ testimonio probari possit: & per consequens, non Scriptura, sed Ecclesiæ* SENSUS *norma est exactissima, ad quam dirigenda & formanda est fides nostra.* Et *Hosius* de expresso Verbo DEI apud eundem *Chemnitium cit: l. p. 59.* dicit: *Si quis habeat interpretationem Romanæ Ecclesiæ, de loco aliquo Scripturæ, etiamsi nec sciat, nec intelligat, an & quomodo cum Scripturæ verbis conveniat, illum tamen habere ipsissimum Verbum DEI.*

X. Quibus collactea sunt, quod *Panigarolla lect. 1. Disceptat: Cathol: Omnes controversiæ,* scripsit, *quæ unquam fuerunt, quæ sunt, quæve ullis temporibus futuræ sunt, ad fidem Catholicam pertinentes, ad hoc unum rediguntur, ut reperiatur, quænam sit vera Ecclesia.* Et causam addit: quia quoties aliqua orietur quæstio, *percunctabor,* inquit, *quid Ecclesia sentiat?* Et quòd *Matthias Bredembachius*, de dissidiis Ecclesiæ componendis pronunciavit: *Neq; enim Scriptura est judex Ecclesiæ, sed Ecclesia & judex est, & interpres Scripturæ.* Quemadmodum itaq; apud *Plautum* in *Mostellaria,* versutus Tranio, ut senem ludificaretur, dicebat, *terrifica monstra videri in ædibus: Nunc tu hinc emigra,* inquiens; *Scelestæ hæ sunt ædes, impia est habitatio. Quæ hic monstra fiunt, anno vix possum eloqui, Act: II. Scen. II.* Ita omnes nervos intendunt Pontificii, ut homines à Scripturâ abducant ad Ecclesiam, & propterea dicunt, *terrifica monstra videri in eâ;* dum modò *obscuritatis,* modò *imperfectionis,* modò *ambiguitatis* eandem incusant, & SENSUM ejus à SENSU Ecclesiæ suspendere satagunt.

XI. Ut itaq; ad nostram & veram sententiam paullatim deveniamus: audiamus, quid hic scriptum reliquerit, Defensor Concilii Tridentini acutus & sagax, *Bellarminus.* Sic igitur ille *Lib. III. De Verbo Dei, cap. III. Convenit,* inquit,

inter nos & adversarios, Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ sunt, id est, Spiritu sancto. Quod Apostolus Petrus epist. 2. cap. 1. docet: cùm ait: Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ, propria Interpretatione non fit. Non enim humanâ voluntate, allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, loquuti sunt sancti DEI homines. Ubi B. Petrus probat, non debere exponi Scripturas ex proprio ingenio, *sed secundum* dictamen Spiritûs sancti, *quia non sunt scriptæ humano ingenio, sed ex inspiratione Spiritûs sancti.* Hæc omnia rectissimè scripsit *Bellarminus. Tota igitur quæstio*, pergit, *in eo posita est, ubi sit iste Spiritus? Nos enim existimamus hunc* Spiritum, *etsi multis privatis hominibus sæpè conceditur, tamen certò inveniri in Ecclesia, id est, in Concilio Episcoporum, confirmato à summo Ecclesiæ totius Pastore, sive in summo Pastore cum Concilio aliorum Pastorum. Non enim disputare volumus hoc loco de summo Pontifice & Conciliis, an solus Pontifex possit rem definire, & an solum Concilium, de hoc enim suo loco agemus. Sed hic in genere dicimus, JUDICEM veri SENSUS Scripturæ & omnium controversiarum, esse Ecclesiam, id est, Pontificem cum Concilio: in quo omnes Catholici conveniunt; & habetur expressè in Concilio Tridentino, Sess: IV.*

XII. Ergò I. non est in quæstione: *Unde SENSUS Scripturæ sacræ dependeat in sese?* Utrinq; enim conceditur, quod pendeat à *Spiritu sancto*, tanquam à causâ Scripturæ sacræ Efficiente: Sed *unde dependeat*; *QUOAD NOS*, sive *quatenus nobis innotescit*. An *principium illius notitiæ*, (sive ut barbarè loquamur *innotescentiæ*) *aut intelligentiæ, sit SENSUS Ecclesiæ; & unanimis Doctorum consensus, an aliud quid?* II. Nec est in quæstione: *An sensus Scripturæ dependeat à proprio alicujus ingenio*, ut Bellarminus loquebatur; Vel *ab alicujus privato Spiritu fanatico.* Nam & hoc utrinq; removetur. Ita enim *Articuli Smalcaldici Part: III. art: VIII. Et in his, quæ vocale & externum verbum*

bum concernunt, constanter tenendum est, DEUM *nemini Spiritum vel gratiam suam largiri, nisi per Verbum, & cum verbo externo & praecedente: ut ita praemuniamus nos adversum Enthusiastas, id est, Spiritus, qui jactitant, se ante verbum, & sine verbo Spiritum habere, & ideò Scripturam sive vocale verbum judicant, flectunt, & reflectunt pro libito, ut faciebat Monetarius, & multi adhuc hodiè, qui acutè discernere volunt inter Spiritum & literam, & neutrum norunt, nec quid statuant, sciunt.* Et rursus sub finem: *Quare in hoc nobis est constanter perseverandum, quòd* DEUS *non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale verbum & Sacramenta; & quòd quicquid sine verbo & Sacramentis jactatur, ut Spiritus, sit ipse Diabolus.* Et utrinq; conceditur: Quod Sacrae Scripturae sint exponendae *secundum dictamen Spiritûs sancti,* quia non sint scriptae humano ingenio, sed ex inspiratione Spiritûs sancti. III. Nec hoc est in quaestione: *An* SENSUS *Scripturae sacrae dependeat ab Inspiratione aliquâ Spiritûs sancti extraordinariâ,* qualis contigit *Josepho, Genes. 41. v. 16. Danieli cap: 2. v. 19.* Nam & haec utrinq; seponitur. Sed quaestio est de *Inspiratione Ordinariâ.* De quâ *Gregorius de Valentiâ,* ad locum Petri, *2. Pet. cap: 1. v. 21.* apud *Chamierum Tom. I. Panstrat. c. 19.* dicit: *Opus est ei, qui Doctrinam Scripturae certò ac infallibiliter in controversis quaestionibus intelligere velit, ut discat ex aliquâ aliâ auctoritate in Ecclesiâ, communi, per quam Spiritus sanctus communiter loquatur, omnesq; doceat. Ratio est, quia, quemadmodum non auctoritate humanâ, sed divinâ locuti sunt in Scripturis sancti Dei homines: ita etiam non humanâ ac propriâ industriâ hujus vel illius hominis, ullo modo, ne ex ipsâ quidem Scripturâ, sententia Scripturae certò cognoscenda est, sed ex aliquâ auctoritate item divinâ, per quam ipse Spiritus sanctus sit certissimus Scripturae Interpres.* IV. Hic igitur STATUS QUAESTIONIS est: *Undenam dependeat quo-*

ad nos SENSUS *Scripturæ sacræ, à Spiritu sancto intentus? an dependeat à Spiritu sancto per Scripturã ad nos loquente, & ita ab ipsâ Scripturâ? An verò ab Ecclesiâ & communi consensu Patrum;* & ita *à Spiritu sancto, quatenus illeEcclesiam*, hoc est, ùt *Bellarminus* exponit, *Pontificem cum Concilio tanquam* JUDICEM *veri Sensûs Scripturæ infallibiliter regit, & per Patres Scripturas interpretatus est; quæ assistentia Spiritus S. auctoritas divina peculiaris sit, per quam ipse Spiritus S. sit certissimus Scripturæ Interpres? Prius* est *dogma nostrum: Posterius* arrogantissimum Pontificiorum *commentum*. Confingunt enim; *infallibilem assistentiã Spiritus S. Pontifici cum Concilio pronuncianti, & Scripturas interpretanti, inseparabiliter adesse; & hanc* distinctã *auctoritatem divinam dicunt diversam esse ab Auctoritate divinâ sacræ Scripturæ; quæ quoad nos, major sit auctoritate Scripturæ: & in Ecclesiâ communis, per quam Spiritus sanctus communiter loquatur, omnesq́ doceat, ac ab hac* SOLA *quoad nos dependere, verum, genuinum, & à Spiritu sancto intentum Sacræ Scripturæ* SENSUM. Cui sententiæ etiam natales suos debet audax assertio *Becani Lib. 1. Man. c. 1. q. 6.* dicentis: *nos non habere veram Scripturam; quoniam non habeamus authenticam Scripturæ Interpretationem, nec habere possimus, nisi ab ipsis eam accipiamus.* Ubi enim, secundum ejus sententiam nullus est Pontifex, vel cum vel sine concilio, Scripturam explicans: ibi etiam nulla est *authentica*, à divinâ auctoritate, & Spiritu sancto profecta *Scripturæ sacræ interpretatio*, nullus verus, & genuinus Scripturæ sensus. Et in tantum excrevit isthæc superbia, ut *Bellarminus Lib. II. de Sacramentis c. 25. p. 243.* scribat: *Omnium Conciliorum veterum, & omnium dogmatum firmitas, pendet ab auctoritate præsentis Ecclesiæ.* Et quòd *Concil. Trident.* decrevit *de Baptismo, can. 5.* Si *quis dixerit in Ecclesiâ Romanâ, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit.* Et quòd recentissimus *Tranio, Keddius* subinde clamitans

de

de Ecclesiis Lutheranorum; *Impia est habitatio, quæ ibi monstra fiunt, anno vix possum eloqui:* Postulato suo IV. scripsit: *Postulatur, ut Lutherani Doctores aliquâ demonstratione ostendant, quòd apud eos sit genuinus* SENSUS *Scripturæ sacræ!*

XIII. Cum quibus pulchrè concinunt, quæ in Examine hujus Canonis circa *statum Quæstionis* tradidit *B. Chemnitius*: Docens: I. Multos Scripturæ locos ita comparatos esse, ut juxta verba Augustini, *& doctis & indoctis ad eos accessus pateat:* in quibus manifestis Scripturæ sacræ locis etiam dicimus omnia ea contineri, quæ pertinent ad fidem & mores, uti ex controversiâ de perspicuitate & insitâ claritate Scripturæ sacræ constat. Propter difficiles autem & obscuras sententias DEUM voluisse exstare *donum Interpretationis*, ei datum, cui DEus id voluerit dare, *1. Cor. 12. v. 11.* quod non sit contemnendum, vel abjiciendum, sed reverenter usurpandum, tanquam organon & adminiculum, ad inveniendum & intelligendum, verum & sanum Scripturæ sensum. II. *Donum* istud *Interpretationis* non esse extra Ecclesiam in non renatis: sed esse *lumen Spiritûs sancti, accensum in cordibus piorum.* Animalis homo enim non percipit ea, quæ Spiritûs sunt, stultitia enim sunt ei: Spiritualis verò dijudicat omnia, *1. Cor. 2. v. 14.* In Ecclesiâ autem Filius Dei sedens ad dextram Patris dat talia dona ad ædificationem corporis sui, *Ephes. 4. v. 11. 12.* III. Dicit & hoc certum esse, *neminem debere suæ prudentiæ inniti in Scripturæ interpretatione, ne in claris quidem locis.* Illud enim manifestè scriptum esse, *2. Pet. 1. v. 20.* Scripturam non esse *privatæ interpretationis.* Et illos, qui sacram Scripturam ad suos sensus, quos anteà præsumserunt, intelligendos contorqueant, *facere hoc in perniciem suam 2. Petr. 3. v. 16.* Optimum enim Scripturæ Lectorem esse, secundum Hilarium, qui *dictorum intellectum non attulerit, sed retulerit ex Scripturâ.*

XIV. *Quatuor* autem *ibid.* dicit esse *capita*, de quibus inter nos & Pontificios controvertatur. I. *Primò enim contendunt*, inquit, *donum Interpretationis ordinariæ Episcoporum successioni ita alligatum esse, ut quicunq; ad thronos illos evehatur, ejus qualescunq; interpretationes statim suscipiendæ & venerandæ sint, tanquam legitimæ, veræ & sanæ, quæ valeant ex privilegio loci, quem illi occupant.* Sicuti ex tali præsumtione dicunt, quòd Papa habet omnia jura in scrinio pectoris sui; etiamsi sit idiota, & tàm obliviosus, ut immemor sit etiam sui. Item, quòd habeat voluntatem pro ratione, in his quæ vult: quod possit formam Sacramentorum, ab Apostolis traditam immutare: quod contra Epistolas Pauli possit statuere: quòd dispensare possit contra prima quatuor Concilia, & contra verba Evangelii, &c. ut habent Canonistarum verba. II. *Secundò: Ex dono Interpretationis faciunt auctoritatem quasi prætoriam:* ut non opus ipsis sit, interpretationem probare, monstratis certis & firmis rationibus, & fundamentis interpretationis: Sed sine examine, sine inquisitione, & dijudicatione simpliciter volunt nos jurare in illum sensum, quem nobis obtrudunt illi, qui sine ostensione Spiritûs jus interpretandi sibi arrogant. III. *Tertiò:* Quando dictum aliquod Scripturæ Pontificii ad suas corruptelas transformarunt, *solicitè inquirunt in Patrum scriptis, ut aliquas inde sententias corradant, quomodocunq; patrocinaturas suo proposito.* Et tales interpretationes Veterum quacunq; occasione, quocunq; modo traditas, contendunt simpliciter sine discrimine & examinatione recipiendas esse, sive verbis Scripturæ consentiant, sive ab illis dissentiant. IV. Arrogant & hoc jus sibi Pontificii, ut in locis Scripturæ etiam clarissimis, *à simplici & genuinâ sententiâ, quam propria verborum significatio præbet, liberè possint discedere, & aliam assuere, tali dictatoriâ auctoritate: ut nobis credendum sit, non quod Scriptura simpliciter, propriè & apertè dicit, sed*

quod

quod ipsi pro imperio & auctoritate nobis interpretantur. Hoc enim artificio eludunt locos clarissimos, de fide justificante, de reliquiis peccati in renatis, de imperfectione bonorum operum in hac vitâ, de libero arbitrio, de intercessione CHRISTI. Quæ *capita Quatuor*, rectè *B. Chemnitius* vocat *Babylonicam servitutem fidei implicitæ*, propterea, quòd volunt nobis impositâ esse necessitatem credendi, quæcunq; Ecclesia Pontificia tenet & proponit, licèt nullis verbi testimoniis probari possint: & quidem ita, ut non opus sit vel cogitare, vel inquirere, vel intelligere, quæ & qualia sint illa, an & ubi in verbo Dei habeant fundamenta: ut rem in summam conjiciamus: Nemo dicat: *Papa quid facis? Episcope, dealbate paries; quid dicis?* Et hæc de vero STATU Quæstionis. Calumnia enim est, quòd vociferatus est *Andradius: Nos in agrestibus hominibus egregiam & solidam sacrarum literarum cognitionem requirere.* Et quod *Becanus* in *Manuali Lib:1.c:1.q:5.§:23.* gannit; *Nos omnibus, etiam laicis & mulierculis, permittere libertatem non solùm legendi, sed & interpretandi Scripturam, cùm ad hoc officium à DEO minimè vocati, ac proinde nec idonei sint.*

XV. Nostra igitur sententia est: *SENSUM Scripturæ sacræ quoad nos dependere ab ipsâ Scripturâ; Sive à Spiritu sancto non extra, sed per Scripturam ad nos loquente.* Et hoc probamus I. Quia *Spiritus sanctus semper adest Scripturæ sacræ, tanquam Verbo suo, & in animis hominum efficax est & testatur: Sese esse, qui loquatur. Nam Spiritus est, qui testatur Spiritum,* id est, doctrinam Spiritûs, *veritatem esse*, inquit *Johannes 1. Epist. 5. v. 16.* Cui consimile est, quòd paullò pòst de fide Verbo DEI habitâ *v. 10.* dicit. *Qui credit in Filium DEI, habet testimonium DEI,* ut Vulgata legit, *in seipso.* Et *cap. 2. v. 27.* Hæc operatio Spiritûs sancti in animis credentium, vocatur *Unctio*, quando dicit: *Unctio vos docebit omnia.* Quare & *Salvianus lib. III. de Providentiâ* dicit: *Alta omnia, id est humana dicta, argumentis ac*

testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est. Et ex ipsis adversariis *Franciscus Suaretz, Tractatu de Fide Disp. III. sect.* 12. scribit: *In actu exercito, dum Deus aliquid dicit, quasi per intrinsecam reflexionem ejusdem actûs in seipsum dicit, se dicere.* Et postea: *Hoc ergò modo divinum verbum & rem dictam & seipsum dicit, & hac ratione per fidem infusam creditur, non per resolutionem in aliud Verbum* (Ecclesiæ, vel Pontificis.) *sed per seipsum,* uti dudum ab aliis fuit observatum. Argumentamur ergò: *Quicunq; semper adest Scripturæ sacræ, tanquam verbo suo & per illud mentes hominum illuminat, & de eo, per Verbum, tanquam præsens Interpres & testis, testificatur, sese esse qui loquatur: ab eo SENSUS Scripturæ sacræ, quoad nos dependet. Sed Spiritus sanctus per sacram Scripturam ad nos loquens, semper adest Scripturæ sacræ, tanquam Verbo suo, & per illud mentes hominum illuminat, & de eo per Verbum ipsum, cui inseparabiliter adest, tanquam præsens Interpres & testis testificatur, sese esse, qui loquatur. E. à Spiritu sancto per Scripturam ad nos loquente; & consequenter ab ipsâ Scripturâ sacrâ SENSUS ejusdem quoad nos dependet.* Et ita dictamen *Spiritûs sancti,* secundum quod Scriptura sacra exponenda est, non erit quærendum *extra* Scripturam, sed *in* eâ, & *apud eam*.

XVI. Inquis I. Concedo, *quod SENSUS Scripturæ quoad nos dependeat à Spiritu sancto: Sed quæstio est; Ubi Spiritus ille sit quærendus? An apud Scripturam & in eâ, an verò apud Ecclesiam; Dico: quòd sit quærendus apud Ecclesiam, sive Pontificem cum Concilio. Illi enim habent Spiritum sanctum, habent infallibilitatem, & donum interpretationis, ex privilegio officii & loci.* Sed respondemus. 1. Non potest ullo manifesto Scripturæ loco ostendi, *quòd Spiritus sanctus ordinariè alio modo hominibus detur, aut iis loquatur & sese explicet, quàm per Verbum & Sacramenta.* Unde *Articuli Smalcaldici, loc:* suprà *citato,* postquam dixissent: *Constanter tenendum est, Deum nemini Spiri-*

tum,

tum, vel gratiam ſuam largiri, niſi per Verbum; Papatum *Enthuſiaſmi* poſtulant, dum dicunt: *Quid, quòd etiam Papatus ſimpliciter eſt merus* Enthuſiaſmus, *quo Papa gloriatur, omnia jura eſſe in ſcrinio ſui pectoris, & quicquid ipſe in Eccleſiâ ſuâ ſentit & jubet, id Spiritum & juſtum eſſe, etiamſi ſupra & contra Scripturam & vocale verbum, aliquid ſtatuat & præcipiat.* Et hoc meritò faciunt. Qui enim ſtatuunt, *alio modo Spiritum ſanctum nobiſcum ordinariè agere, quàm per Verbum & Sacramenta, Enthuſiaſtæ* ſunt, neque *Enthuſiaſmo* liberari poſſunt, utcunq; variè collum diſtorqueant, & ſolvi cupiant hoc nodo. 2. Non poteſt probari, quod Pontifex & Concilium dicto modo habeant Spiritum ſanctum: Quæ igitur prolata fuerunt, petunt id, quod in principio, & ea ſunt, quæ nos negamus.

XVI. Inquis II. *Si SENSUS Scripturæ quoad nos dependet ab ipsâ Scripturâ; ſive à Spiritu ſancto per Scripturam loquente: ſequitur quod ab omni legente & audiente intelligatur: & cuivis homini manifeſta ſit; omnesq; æqualiter illuminet. Sed poſterius non eſt. Ergò nec prius.* Conſequentia probatur: *Quia ſicuti Spiritus ſanctus æqualiter adeſt verbo ſuo, nec adeſſentia ejus recipit magis & minus: Ita etiam apud omnes æqualiter operabitur; & apud omnes quoq; par Intellectus erit & cognitio Scripturæ ſacræ, ſive æqualis illuminatio.* Reſpondeo. Negatur *conſequentia Majoris.* Operationes enim Spiritûs ſancti, quas edit per Scripturam, tanquam organum converſionis & ſalutis, conſiderari poſſunt *dupliciter.* 1. Quoad *Actum primum*, ſive reſpectu *Spiritûs ſancti, & ipſius Scripturæ ſacræ*; & ita ſe habent ad omnes homines æqualiter, ſunt enim medium, per quod omnes æqualiter homines illuminari, converti & ſalvari poſ-

Et ita Operationes Spiritûs sancti, & ipsius Scripturæ sacræ, non habent sese æqualiter; sed ad conditionem & qualitatem subjecti, quod eas aut legit aut audit. Ratio est, quia per Scripturam Spiritus sanctus operatur non secundùm potentiam suam absolutam, sed ordinatam, quæ compossibilis est, & stare potest cum hominis libero arbitrio; in cujus libertate, quoad extrinsecum mediorum salutis usum, positum est, Scripturam audire, vel non audire, legere, vel non legere, admittere, vel repudiare. Quòd igitur non æqualiter omnes illuminantur, aut SENSUM Scripturæ ad fidem percipiunt; ex defectu est audientis vel legentis; qui aut Verbum planè contemnit, aut oscitanter legit, & audit, aut præconceptis opinionibus Scripturæ præscribit, aut non scrutatur, aut aliàs non rectè se gerit; vel Scripturam intelligere quærit. Majoris igitur consequentia nulla est. Nam sicuti non licet argumentari: *Semen non proferebat in omni agro eosdem fructus, Luc. 8. v. 5. & seqq. Ergò non erat ubiq; ejusdem potentiæ, aut ubiq; idem semen: Sic etiam non licet ratiocinari; Scriptura S. non parit apud omnes eundem* SENSUM *& eandem illuminationem & intelligentiam à Spiritu sancto profectam, Ergò Spiritus sanctus æqualiter non adest verbo, &* SENSUM *Scripturæ sacræ legenti vel audienti quantum in sese est, insinuat.*

XVII. Notamus tamen hic *duo*. I. Intelligentiam illam Sacræ Scripturæ, tanquam notitiam, & primam partem salvificæ fidei, qualitatem esse, & propterea recipere ratione Subjecti intelligentis magis & minùs. Ut enim Sol oriens paulatim dispellit tenebras: Sic quoque Lumen Scripturæ sacræ magis magisque Subjectum cognoscens illuminare solet. Unde est, quod CHRISTUS jubebat ἐρευνᾶν τὰς γραφάς. Johan. 5. v. 39. Et ad discipulos dicebat *Luc. 8. v. 18. Videte ergò quomodo audiatis. Quisquis enim habet, dabitur illi, & quicunq; non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.* Et *v. praced: 10. Vobis datum est nosse mysteria regni Dei*, nempe *Vobis;*

bis; Interrogantibus, v. 9. & quòd *Act. 17. v. 39 Berrhoënses*, cùm Paulus interpretaretur Scripturas, *scrutarentur eas, an hæc ita se haberent.* Potest enim homo per acceptam gratiam & illuminationem Spiritûs sancti, quæ verbo inseparabiliter adhæret; posteà cooperari; &, ùt Eunuchus *Act. 8. v. 31.* interpretationem & penetrationem SENSUS Scripturæ, eleganti verbo describit; *ὁδηγεῖν*: & cum Mariâ matre Domini, *Luc. 2. v. 19, συμβάλλειν τὰ ῥήματα*; donec sacræ literæ eum *σοφίσωνται* sive erudiant ad salutem. *2. Tim. 3. v. 15.* Unde & Laici, uti non sunt arcendi à Verbi auditu: ita neque arcendi sunt à sacræ Scripturæ lectione. Ut ita *SENSus Scripturæ* verissimè dependeat à *Lumine Spiritus sancti, Verbo inseparabiliter adhærente*, & quantum est ex sese, æqualiter ad omnes se habente. Et propter has causas quoque, quotiescunq; ii pro intellectu & illuminatione orant, non tàm respiciunt ad ipsam Scripturam, quàm ad conditionem subjecti sive ad conditionem & qualitatem sui. Videlicet ut DEUS dignetur à sese removere omne illud, quod intelligentiam verbi quocunq; modo impedire possit. Notamus II Distinguendum esse inter *Intelligentiam Scripturarum necessariam ad salutem*; sive eam, quæ pertinet ad *Dona Spiritûs sancti sanctificantia*; & hanc Spiritus sanctus per scripturam sive Verbum DEI, quantum est ex sese, æqualiter omnibus hominibus vult dare. Ut enim vult verbum suum omnibus prædicari: Sic etiam vult omnibus dare ejusdem SENSUM & intellectum, quantum videlicet attinet ad ea Scripturæ loca, quæ pertinent ad fidem & ad mores, & quantum simpliciter est necessarium ad salutem. Quamvis etiam in hac ipsâ cognitione sibi reservaverit, quo-

tus sanctus per Scripturam sacram non operatur in omnibus æqualiter, *sed dividit unicuiq; peculiariter sicuti vult*, uti pulcherrimè ostendit Paulus, *1. Cor. 12. à v. 1. usq; ad 12.* *Et idem* (uti de CHRISTO dicitur: ita & nos de Spiritu sancto dicimus: *dedit alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, Ephes. 4. v. 15.* Nec tamen cuiquam hæc Intelligentia & Gratia, sive Lumen Spiritûs sancti ordinariè, aliter contingit, quàm per verbū sive ipsam Scripturam sacram. Ut hanc ob causam meritò dicamus ad Laicos Anglicanos, suggestum conscendentes: *Procul hinc, procul ite profani.* Nam neque hanc necessariam Intelligentiam habent Scripturarum, nec à DEO Ecclesiis dati sunt, ut essent illorum Doctores, nec verbis eorū Spiritus sanctus adest; & quicquid de suo gloriantur Spiritu, nihil est. Spiritus enim ille non est Spiritus sanctus, sed Spiritus vertiginis, Pater mendacii & ipsissimus Diabolus. Atque de hac distinctione egregiè locutus est *Augustinus, Tom. II. Op. Edit. Plaut: p:* 4. Epist. III. dum scribit: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, & meliore ingenio conarer addiscere, nō* quòd ad ea, *quæ necessaria sunt saluti, tantâ in eis perveniatur difficultate: sed cùm quisq; ibi fidem tenuerit, sine quâ piè recteq; non vivitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaq; non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ: ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi, hoc contingat, quod Scriptura dicit: Cùm consummaverit homo, tunc incepit.*

XIIX. Sed quò digressi sumus? Redeamus ergò in viam. II. *Secundò* igitur ex *Perspicuitate & effectis Scripturæ sacræ* ita argumentamur; *Quæcunq; Scriptura est perspicua, ut homi-*

hominem possit eruditum reddere ad æternam salutem: illius SENSUS *dependet, quoad nos, ab ipsâ illâ Scripturâ; Sed sacra Scriptura ita est perspicua, ut hominem possit eruditum reddere ad æternam salutem. E. Sacræ Scripturæ* SENSUS *quoad nos dependet ab ipsâ Scripturâ sacrâ.* Majorem Propositionem probamus, quia *perspicuum* esse, & SENSUM *suum* legenti vel audienti ex insitâ claritate ingerere, sive insinuare; & *obscurum esse*, nec SENSUM suum, nisi interveniente aliâ quâdam auctoritate, & authenticâ Interpretatione, legenti vel audienti ingerere, sunt contradictoria, nec simul consistere possunt. *Minorem* autem probamus: Quia Scriptura sacra, *lucerna est pedibus nostris, & lumen semitæ nostræ. Ps. 119. v. 105. Est lucerna splendens in loco obscuro, illuminans tenebricosos hominum animos, 2. Pet. 1. v. 19. Errores & ignorantiam discutit, & lumen cognitionis CHRISTI cordibus nostris præbet, 2. Cor. 3. v. 16. 2. Cor. 4. v. 6.* & quæ fundamenta sunt alia, quibus *Perspicuitas sacræ Scripturæ* in iis, quæ pertinent ad fidem & mores, probatur. Quòd autem eadem sacra Scriptura; Hominem σοφίσαι, *sapientem & eruditum reddere ad æternam salutem possit*, manifestè docuit Paulus *2. Tim. 3. v. 15.* Quare luculentissimis verbis *Augustinus Lib. II. de doctrina Christiana c. 9. In iis, inquit, quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresq; vivendi, spem & charitatem.* Item *Chrysostomus Homil. 3. in 2. Thessal.* πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ ταῖς θείαις γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. *Omnia sunt, dilucida & recta, quæ sunt in divinis Scripturis, manifesta sunt, quæcunq; sunt necessaria.* Et *Lactant. Lib. VI. Instit. div. c. 21. p. 207. Num DEus & mentis & vocis, & Linguæ artifex, disertè loqui non potest? Immò verò summâ*

contra Julian: lib. 7. ult. *Ut omnibus essent nota, parvis & magnis, utiliter familiari sermone commendatæ sunt, ita ut nullius captum transcendant.* Iterum *Chrysostomus Homil. 1. in Johannem: Hujus doctrina, Sole clarior est & illustrior;* Idem *Homil. 9. in 2. ad Corinth. Semper enim, quando aliquid obscurum loquitur Paulus, seipsum iterum interpretatur.* Et *Ambrosius Lib: 3. Epist. 5. Ita nobiscum loquitur, ut nos sermonem ejus intelligamus. Lib: 11. ep: 7. Paulus in plerisq; ita seipse in suis exponit sermonibus, ut is, qui tractat, nihil inveniat, quod adjiciat suum, aut si velit aliquid dicere, Grammatici potiùs, quam disputatoris fungatur munere.* Rursus *Augustinus, Tractatu 21. in Johannem: Temerè fortassis facimus, quia discutere & scrutari volumus verba Dei. Sed quare dicta sunt, nisi ut sciantur: quare sonuerunt, nisi ut audiantur: quare audita sunt, nisi ut intelligantur.* Relinquitur igitur, *SENSUM Scripturæ, quoad nos dependere ab ipsâ Scripturâ sacrâ,* cùm sit *perspicua, clara, lucida; interpretetur seipsam;* & ita perspicuitate suâ hominem erudiat, ut possit per eam consequi æternam salutem. Dicimus itaq; cum Davide *Ps. 19. v. 9. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Æquè igitur absurdum est; quòd regerit *Becanus* in *Manuali Lib: 1. c: 1. q: 4. m: 13.* Scripturam vocari *lucernam lucentem,* non *quia facilè intelligitur,* sed quia *intellecta illuminat!* ac si dicerem: Lumen est *lumen,* quia *illuminatum* illuminat, Lucerna est *lucerna*, quia illustrata lucet. Non enim lumen illuminat, & Lucerna lucet, quia ab alio habet lumen: sed quia id habent in seipsis.

XIX. Argumentamur III. Ex loco Petrino, 2. *Pet. 1. v. 20.* ubi dicitur: πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως ἐ γίνεται. *Omnis Prophetica Scriptura non est privata interpretationis.* Et additur ratio, *v. 21. Non enim voluntate hominis allata est olim Prophetia, sed à Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines.* Unde ita concludimus: *Quæcunq; Scriptura est divinitus inspirata, illius sensus quoad nos dependet ab illâ ipsâ Scripturâ.*

Sed

Sed *Scriptura sacra est divinitùs inspirata.* *E. illius sensus quoad nos dependet ab ipsâ illâ Scripturâ.* Major probatur 1. Quia Scriptura non est ἰδίας ἐπιλύσεως. Sed ejus SENSUS dependet à θεοπνευσίᾳ ut *Bellarminus* ipse concedit. 2. Quia igitur; *quoad nos*, SENSUS *Scripturæ* dependet à θεοπνευσίᾳ: Ideò illa θεοπνευσία, *aut* erit *eadem* cum illa, *quâ* impulsi, locuti sunt sancti Dei homines, & quâ Scriptura sacra est allata; & ita SENSUS Scripturæ quoad nos dependebit ab ipsâ Scripturâ, quod nos asserimus: *aut* erit *distincta* ab illâ, quâ primitùs allata fuit; uti quidem contendunt Pontificii, dum eam apud Pontificem, & Episcopum quærendam dicunt. Tertium enim nec datur, nec cogitari potest. Sed non est distincta ab illâ θεοπνευσίᾳ, ut ex sequentibus patebit, sed à Pontificiis conficta est: nec ullo manifesto dicto Scripturæ probari potest. Ergò est eadem cum illâ, quâ primitùs Scriptura sacra allata fuit. Scripturæ itaque SENSUS etiam quoad nos ab illa ipsâ primævâ θεοπνευσίᾳ, & ita ab ipsâ Scripturâ sacrâ dependet. Afferre enim; *immediatam* quandam *Assistentiam* & *Inspirationem Spiritûs sancti*, quæ Pontifici & Romanis Episcopis ex peculiari privilegio concessa sit & inseparabiliter adsit, quando Scripturam interpretantur, aut aliquid definiant ex cathedrâ, merus est *Enthusiasmus*. Nam quòd Ecclesia quædam particularis, & ejus Doctores, non errant: id habent non ex *immediatâ* assistentiâ Spiritus sancti: sed *mediatâ*, quatenus videlicet sequuntur vocem Spiritûs sancti, & duci se sinunt per Scripturas sacras. Unde & ipsum *Jus Canonicum* dicit, *c. relatum, distinct. 37.* *Ex ipsis Scripturis capiendus est* SENSUS *veritatis.*

habeant in ea vitam æternam, quoniam testificatur de CHRISTO: *illius Scripturæ sensus* quoad nos, *dependet ab illâ ipsâ Scripturâ, Sed sacram Scripturam, &c. E.* Major probatur: quia nisi illa ipsa, SENSUM suum nobis apta esset ingerere & insinuare: non possemus ad illam ablegari: sed ad eum ablegandi essemus, à quo quoad nos, SENSUS illius dependeret. V. Ex dicto illo manifestissimo *2. Tim. 3. v. 16. Omnis Scriptura divinitùs inspirata est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in justitiâ. Ut integer sit* DEI *homo, ad omne opus bonum præparatus.* Et quòd *v. præced.* dicitur: *à puero sacras literas nosti,* τὰ δυνάμενα σὲ σοφίσαι, *quæ te possunt eruditum reddere ad salutem.* Unde concludimus: *Quæcunq; Scriptura ex sese potest hominem* σοφίσαι *ad vitam æternam, &* ἄρτιον *reddere, sive integrum, ad omne opus bonum; illa Scriptura* SENSUM *suum habet, quoad nos à seipsâ. Sed Scriptura sacra. E. Major* probatur, quia EX SESE *aliquid* per semel acceptam potentiam & efficaciam producere posse, & non posse, sunt contradictoria. *Minor* probatur, quia Paulus hosce effectus omnes Scripturæ ita adscribit, ut eos ex se producere posse dicat, dum 1. simpliciter hosce effectus eidem tribuit. 2. planè nihil dicit, quod sacra Scriptura hosce effectus producat *dependenter*, ab aliquâ quadam peculiari auctoritate divinâ & θεοπνευστίᾳ, quæ penes Romanum Pontificem & Episcopos resideat, ac distincta sit à θεοπνευστίᾳ illâ ipsius Scripturæ sacræ. Quod tam apparet esse clarum, quàm quòd est clarissimum. Sed hæc sufficiant! SENSUS ergò Scripturæ sacræ ab ipsâ dependet Scripturâ sacrâ ejusq; primævâ θεοπνευστίᾳ, sive à Spiritu sancto per Scripturas loquente, nec extra eam, sed in eâ est quærendus, & ex ipsâ eruendus.

F I N I S.